

concitavit. Pistrix autem, ut intellexit, quod rex fuerat^{p)}, quem vituperaverat, ultro modum doluit, regem adiit et, ut sibi remitteret illatam sibi iniuriam, supliciter deprecatur. Rex ei omnem gratiam denegabat, nisi prius eum vituperaret eique malediceret ut prius in occulto fecerat. Hoc mulier fecit et domini sui voluntatem fideli adimplevit et ad risum plurimos provocavit. Et ita cum gracia et dono ad propria venit.

In Alsacia erat communis^{q)} fama, quod Judei conquesti fuissent regi Rûdolpho, quod Cristiani plus quadraginta Judeos sine causa turpiter occidissent maxime in Wesalia¹⁰¹⁾ et Bopardia¹⁰²⁾, humiliter petentes, ut justiciam eis ministraret et eos tamquam innocentes^{r)} a vi et iniqua potestate defenderet et a periculo mortis liberaret, presertim ipsorum rabi, id est supremum magistrum, cui quidam Judeorum quasi divinos honores impendere videbantur, quem rex captivum habebat ea causa, quod erat divulgatus cristianum hominem in occulto in die parasave in cellario suo occidisse. Ergo si illum dimitteret et eos defenderet, promiserunt sibi viginti milia marcarum etc. Rex Judeorum petitionem exaudivit. Judeum captivum^{s)} a carcere liberavit et libertati restituit et illos de Wesila et Bopardia in marcis duabus milibus condemnavit. Insuper fecit rex dominum archiepiscopum Moguntinum¹⁰³⁾ solenniter predicare, quod Cristiani Judeis iniuriam maximam intulissent. Interea proclamabant dicentes, quod in Bacharach¹⁰⁴⁾ puerum quendam nomine Wernherum occiderint¹⁰⁵⁾ et sanguinem eius innocentem servaverint, quod eciam in odium ipsorum preter et contra veritatem excogitatum sit. Puer enim ille casu quodam seu morbo naturali potuisset esse peremptus atque mortuus. Quamvis autem prefatus | puer a fidelibus Cristianis pro sancto martire propter magna et multa eius miracula, que quotidie apud suum tumultum fiebant, cum pia veneracione habitus fuerit. Nichilominus tamen rex persuasus et in contrarium adeo fortiter ei indicatum fuit, quod mandavit corpus sepultum prefati pueri iterum de terra et sepulchro extrahendum et ad cremandum igni tradendum

(255,
27—42)

fol. 180v

p) *Hs. erat, korrigiert in fuerat*

q) *Hs. comunis*

r) *Hs. inocentes*

s) *Hs. captuum*

¹⁰¹⁾ *Wesel, urkd. Wisela 1222.*

¹⁰²⁾ *Boppard, urkd. Bopardia 1224.*

¹⁰³⁾ *Heinrich Knoderer, früher Bischof von Basel, Erzbischof v. Mainz 1286—1288.*

¹⁰⁴⁾ *Bacharach, urkd. Bacherache 1222*

¹⁰⁵⁾ *Lant Ann. Colm. maiores fällt das Ereignis in das Jahr 1287 (Vgl. MGH SS 17, S. 215, 12 f.).*